

» primofuturis curæ erit, ut quæ pertinent ad eorumdem capitulo-  
 » rum sic erigendorum prosperum et felicem statum, regimen,  
 » gubernium, directionem, divinorum officiorum celebrationem,  
 » cæremonias ac ritus in iisdem ecclesiis earumque choro servan-  
 » dos, ac alia quælibet per eorumdem capitulorum dignitates et  
 » canonicos abeunda munia, pro eorumdem archiepiscoporum et  
 » episcoporum arbitrio et prudentia definiuntur et constituantur,  
 » relicta tamen eorum successoribus statutorum illorum immutan-  
 » dorum facultate, requisito prius capitulorum respectivorum  
 » consilio, si attentis temporum circumstantiis, id utile et oppor-  
 » tunum judicaverint. In ipsis autem statutis vel condendis, vel  
 » immutandis, religiosa sacrorum canonum observantia retine-  
 » tur, usumque ac consuetudinum laudabilem antea vigentium,  
 » præsentibusque circumstantiis accommodatarum ratio habeatur.»  
 Item in decreto erectionis dioecesum 10 Aprilis 1802 statuit :  
 Ut in ecclesia, in iis, quæ illius capitulum concernunt, ecclesias-  
 tica disciplina servetur, eidem primo futuro ejus Archiepiscopo  
 (Episcopo) curæ erit, ut antiqua ejus ecclesiæ jam Apostolica  
 auctoritate suppressæ, ac de novo nunc erectæ, statuta, ordina-  
 tiones, capitula, decreta, in quibus opportune ea omnia sancita-  
 sunt quæ pertinent ad ejus prosperum et felicem statum, regi-  
 men, gubernium et directionem, ad divinorum officiorum alia-  
 rumque ecclesiasticarum functionum, anniversariorum et suffra-  
 giorum celebrationem, servitium chori præstandum, cæremonias,  
 ac ritus in prædicta ecclesia, ejusque choro, capitulo, functionibus  
 et aliis actibus capitularibus hujusmodi servandos; officiales et  
 ministros dictæ ecclesiæ necessarios, deputandos et amovendos.  
 ac ministeria per ipsos obeunda ac quascumque alias res in  
 præmissis ac circa præmissa quomodolibet necessarias et oppor-  
 tunas; ea omnia, ut dicebamus, antiqua statuta, ordinationes,  
 capitula, decreta, quantum ejusdem... ecclesiæ, nunc de novo  
 erectæ et capituli in ea constituti vel constituendi rationes  
 patientur, et in iis, in quibus locum habere poterunt, pro suo  
 arbitrio et prudentia, collatisque cum eodem capitulo consiliis,  
 restituat, sequatur et revocet in observantiam; ita ut eidem...  
 prævio capituli suffragio, non solum liceat eadem statuta, ordi-  
 nationes, capitula, decreta reformare, interpretari, in meliorem  
 formam redigere, sed etiam alia de novo et ex integro, licita  
 tamen et honesta, ac sacris Canonibus minime adversantia, per  
 eos, ad quos pertinet, et pro tempore spectabit, observanda, sub-

» poenis in contravenientes infligendis, condere et præscribere  
 » quemadmodum nos, de præfata Apostolica auctoritate, plenam  
 » eidem, liberam et omnimodam facultatem, potestatem et auctori-  
 » tatem concedimus et impertimur. »

Episcopis igitur et Archiepiscopis primo futuris post concordatum 1801, data fuit facultas conficiendi statuta capituli, et eorum successoribus potestas immutandi eadem statuta requisito prius capitulorum consilio. Hæc autem facultas juxta aliquos (1) limitatur ad primos Episcopos et Archiepiscopos post concordatum, et ad primos eorum successores; quia hæc facultas est privilegium juri communi derogans: atqui omnis derogatio facta juri communi, stricte interpretanda est; et proinde non de omnibus in perpetuum ipsa intelligenda est, sed de illis tantum qui exprimuntur, prout revera ita stricte intelligi potest. Attamen licet hujus facultatis concessio aduersetur doctorum opinioni, non tamen juri canonico, quod lib. 1. Decretalium tit. IV, cap. IX *Cum consuetudinis* sanxit, statuta absque Episcopi consensu nec fieri, nec immutari posse, ut supra § 2 dictum est, Quapropter Galliarum Episcopi post concordatum 1801, alii quidem capitulis dimiserunt curam corrigendi statuta, alii autem eam facultatem sibi vindicarunt (2).

#### § 4. Qualia esse debent statuta.

I. Concilium Romanum 1725, tit. II, cap. V, præscribit, ut statuta tali methodo condantur, quatenus, quæ ipsarum sint ecclesiæ et capitulorum origines, fundationes, insignia, jura, consuetudines, redditus, onera et munera, suis sub capitibus distinctis exprimantur; nihilque in eis sit, quod a juris dispositione, et Congregationum decretis, usque recepto et approbato exorbitet; sed illa apposite statuantur, quæ pro opportunitate et necessitate temporum, rerum et locorum, ad divini cultus augmentum, sanctioris disciplinæ observantiam, et ecclesiarum utilitatem statuenda judicaverint. »

« In statutis condendis vel immutandis religiosa sacrorum canum observantia retinenda est, usumque ac consuetudinum laudabilem ratio habenda est » (3).

(1) Bouix de capitulis p. 4, cap. IV, § 3, p. II; Craisson Manuale jur. can. n. 2426; Huguenin. tom. 1. fol. 387.

(2) Huguenin. loco cit.

(3) Decretum Cardinalis Caprara *Cum Sanctissimus Dominus*, 9 Ap. 1802.

Statutum ferri potest circa ea, quæ in jure communi reperiuntur disposita. Licet enim tale statutum ad nihilum valere videatur; multi tamen nescientes jus commune, sic illud addiscunt, deinde magis timetur quod specialiter jussum reperitur, et tandem saltem producit effectum paternæ monitionis (1).

Statuta capitularia omnibus canonicis communia esse debent; et condenda non sunt, ut aliqui a laboribus eximantur: etenim ubi est una prorsus fides mentium, una esse debet pietas actionum. Justa tamen subsistente causa, potest capitulum ad commune bonum statutum ferre, licet aliquid majoris oneris afferat canonicis junioribus (2).

II. Cum juxta normam a Concilio Romano propositam, ecclesiæ origo, gradus honoris, privilegia impetrata descripta fuerint; sequi possunt distincta capita de canonicis eorumque admissione et præcedentia, de servitio ecclesiæ et vacationibus, de officiis divinis et eorum celebratione, de missa conventuali, de redditibus ecclesiæ, de capitulo seu conventibus capitularibus, de officialibus eorumque electione, de officio secretarii, de officio punctatoris, de canonico theologo, de canonico penitentiario, de cæremoniis magistro, de beneficiatis, capellanis, etc.

Deinde per modum appendicis addi possunt, tabella distributionum, in qua notatur, quantum cuique pro singulis horis et functionibus tribendum sit; tabella dierum solemnum, in quibus missa a dignitatibus celebratur; tabella anniversariorum; tabella horaria; formula juramenti præstandi per punctatorem, per officiales, etc. (3).

III. Si statuta examinanda aut corrigenda sint, attendenda sunt quæ Concilium Romanum 1725. tit. II, cap. IV, prescribit: « Episcopi in iis examinandis, si quid contra jus, vel Tridentini Concilii decreta, aut Pontificias constitutiones irrepsisse cognoverint, super eo Sedem consulant Apostolicam, a qua juris remedia expectent. Consuetudines autem, non nisi rationabiles et honestas admittant; et si quas a ratione declinassem, vel contra breviarii, vel missalis, cæremoniis Episcoporum, Pontificalis, vel ritualis Romani rubricas inolevisse, ac proinde indebitam legis speciem usurpasse compererint, eas vel corrigant, vel omnino delenda decernant. »

(1) Scarfantonius lib. 4, tit. XI, n. 2 et 3.

(2) Scarfantonius loco cit. tit. XIII, n. 26.

(3) Lucidi de Visit. SS. Lim. tom. 1, fol. 323, n. 150 et 151.

IV. Statuta in scriptis redacta esse debent; nam etsi scriptura non sit de eorum substantia, ita tamen fieri expedit, ne unquam dubium circa aliquod punctum oriatur (1).

V. Ab Episcopo approbanda sunt, ut supra § 2, n. IV, dictum est. Ad Episcopos pertinet statuta capitularia episcopali sua auctoritate munire; ac proinde non solet Sacra Congregatio statutis capitularibus manus apponere. Integrum tamen est, eamdem sacram Congregationem consulere, si quid occurrat, quod episcopali auctoritate definiri non potest: id enim consentaneum est dispositioni Concilii Romani, in quo monentur Episcopi, ut in casibus ibi indicatis Apostolicam Sedem consulant, a quo juris remedia expectent. Nihilominus usuvenit, ut sive capitula sive Antistites statuta capitularia Sacrae Congregationi presentent. At vero eadem perraro hoc sibi munus assumit. Aliquando ut Episcopis rem gratam faciat, annuit, ut privata quodammodo forma aliquis ex consultoribus oportunas animadversiones faciat, ut earum ratio habeatur. De cætero satis est, statuta ordinariæ Episcopalis potestatis decreto roborare, quin opus sit, ut Apostolica Sedes auctoritatem suam adjiciat (2).

### § 5. Obligatio statutorum.

Prænotandum est 1º supponi, statuta esse justa et recta, nec contraria rubricis, constitutionibus Apostolicis, Concilio Tridentino aut juri canonico, quæ enim injusta aut juri superiori contraria sunt, per se obligare nequeunt.

2º Supponi, statuta servari, si enim in desuetudinem abierint, et communiter non serventur, cessat obligatio.

I. Si statuta a capitulo confecta sint, et non approbata nec confirmata ab Episcopo, per se non obligant defectu jurisdictionis, qua caret capitulum, vivente Episcopo. Per accidens autem obligare possunt, videlicet 1º ex pacto et conventione, qua capitulares inter se conveniunt, seque obligant ad statuta servanda: 2º ex promissione, saepius juramento confirmata, qua canonici, præser-tim in sua admissione, promittunt, sese statuta servaturos: 3º quatenus capitulum est collegium ab Ecclesia institutum, quod cum

(1) Scarfantonius lib. IV, cit. XI, n. 16 et seq.

(2) Ita Lucidi de Visit. SS. Lim. vol. 1, fol. 322, n. 147 et 148.

sine certo ordine et disciplina subsistere nequeat, suas regulas et ordinationes habere debet, quas quisque servare tenetur, et quas si quis servare nollet vel negligeret, reprehensibilis censeretur; quinimo si ordinem notabiliter turbaret, vel graves moveret difficultates, graviter etiam culpabilis haberetur.

Si autem statuta ab Episcopo tradita sint, vel ab ipso approbata sive confirmata, legis rationem habent, et eatenus leviter vel graviter obligant, sicut alia statuta Episcopalia (1).

Si statuta sint poenalia, ipsa ex parte statuentium denotant voluntatem obligandi; ideo tamen gravius non obligant, neque ad poenam persolvendam, nisi quatenus ipsa statuta obligant.

II. Statuta si ab Episcopo approbata vel confirmata fuerint, obligant etiam successores, sicut alia statuta Episcopalia (2). Si confirmata non fuerint, aliqui etiam censem, successores iisdem ligari (3); alii autem sustinent, successores non obligari, nisi promiserint vel juraverint, se illa servatuos (4).

III. Statuta aliquoties per annum in capitulo legenda sunt, ut nullus conqueri possit, se illorum notitiam non habere; ut omnes illa memoria teneant, et exacte observent.

#### § 6. Statuta promissione jurata acceptata.

I. « Contingit in nonnullis ecclesiis de earum consuetudine observari, quod... nec canonici (cum de recipiendis ibidem novis canonice agitur) aliter recipientur in ipsis: nisi jurent statuta et consuetudines ipsarum ecclesiarum, scripta et non scripta inviolabiliter observare (5).

II. Hoc juramentum, seu potius promissio sub juramento usum venit, et usurpatur in confirmationem statutorum, ut, si ipsa personae non obligent, vel successores non obligent, saltem obligent vi promissionis juratae tum capitulares omnes, tum eorum successores.

III. Capitulares faciles esse non debent ad se obligandum sub juramento (6). Hoc juramentum etiam non approbatur, nec lauda-

(1) Pallottini, *Capitulum*, § VIII, n. 18 et seqq.

(2) Andreucci p. 3, cap. I, § III, n. 145.

(3) Bouix p. III, cap. IV, § 2, prop. 12; Craisson, n. 2421-2423.

(4) Scarfantonius lib. IV, tit. X, n. 50; Lucius Ferraris, *Capitulum*, art. III, n. 2.

(5) Ita Sexti Decretal. lib. II, tit. XI, c. 1.

(6) Conc. Colon. apud Scarfantonum lib. IV, tit. XIII, n. 64.

tur in decretalibus infra allegandis: cum tamen non prohibeatur; canonicis licitum est, hujusmodi statuta et ordinationes juramento vallare (1).

IV. Hoc juramentum explicatur et declaratur Sexti Decretalium lib. II, tit. XI, c. I: « Quia in statutis consuetudinibusque interdum aliqua reperiuntur illicita seu impossibilia, vel obviantia Ecclesiasticae libertati (ne sub tali generalitate jurandi, sic jurantibus peccandi occasio praebatur, cum juramentum non fuerit, ut esset iniquitatis vinculum, institutum) hac generali constitutione animarum periculis obsistere cupientes, præcipimus a quibuscumque scientibus contineri in predictis consuetudinibus et statutis, illicita vel impossibilia vel libertati Ecclesiasticae obviantia, juramenta hujusmodi aliquatenus non praestari. Et talia juramenta ea intentione facienda, vel facta, ut etiam illicita vel impossibilia, seu Ecclesiasticae libertati obviantia observentur (cum etiam sub tali intentione praestari non possint absque divinæ majestatis offensa) decernimus in hujusmodi illicitis, impossibilibus, seu libertati Ecclesiasticae obviantibus non servanda: quin potius pro animarum salute, si sub forma predicta vel simili aliquos ignorantes praedicta illicita seu impossibilia vel libertati Ecclesiasticae obviantia jurare contigerit, ad observanda dumtaxat licita, possibilia et non obviantia libertati Ecclesiasticae, jurantium referri debet intentio. Declaramus quoque juramenta sub hujusmodi generalitate qualitercumque, et sub qualicunque verborum forma praestanda, ad licita, possibilia, et libertati Ecclesiasticae non obviantia tantum extendi: ipsosque jurantes ad alia per præstationem juramenti hujusmodi non teneri. » Hæc confirmantur a Gregorio XIII et Innocentio XII, 22 Sept. 1695 (2).

Notandum hic quoque est, convenire, ut statuta superflua omitterentur, et ea sola conservarentur, quæ utilitas vel necessitas ecclesiæ exigit, ac proinde in veritate, judicio et justitia jurarentur et sedulo observarentur (3).

Notandum canonicos noviter receptos, non esse adstringendos ad juramentum præstandum sine advertentia et discussione, et tanquam pro forma, sed statuta prius ab eis videnda et consideranda esse, ut probe sciant, quid jurejurando promittant (4).

(1) Scarfantonius lib. V, tit. IX, n. 46.

(2) Apud Lucium Ferrarem *Electio*, art. III, n. 26.

(3) Scarfantonius lib. IV, tit. XI animadv. 18.

(4) Scarfantonius ibidem animadv. 17.

V. Hoc juramentum obligat, sicut ipsum statutum, sub gravi aut levi, vel tantum ad poenam, vel tantum sub consilio (1). Non enim ita obligat, ut transgressor cuiusvis statuti peccet mortaliter; sed intelligendum est obligare pro gravitate aut levitate rei, quæ continetur in statuto: ita ut, si transgredietur statutum de re levi, venialiter tantum peccet; si de re gravi, mortaliter (2).

VI. Obligat tantum ad licita, possibilia, et ecclesiasticae libertati aut decretis Concilii Tridentini non obviantia, non autem ad illicita impossibilia, et ecclesiasticae libertati aut decretis Concilii Tridentini obviantia (3).

Obligat tantum ad statuta præsentia seu edita, non autem ad futura et edenda, nisi vel jurans hoc intenderit, vel in forma jumenti expressum fuerit.

Obligat tantum ad ea quæ sunt recepta et servantur, non autem ad ea, quæ non sunt recepta, vel abrogata, vel quæ in desuetudinem abierunt, aut a majori parte non observantur. Ratio est, quia juramentum partim ob periculum perjurii, partim ob detrimentum quod sequi potest, est strictissimi juris et interpretationis, ideoque non debet accipi latius, quam statuta hic et nunc sunt (4).

## CAPUT XXXII.

## DE CONVENTIBUS CAPITULARIBUS.

§ 1. *Capituli utilitas et distinctio.*

I. Conventus seu congregatio canonicorum, abbreviationis gratia communiter dicitur capitulum.

Non sperni debent hujusmodi congregations capitulorum. ne quidem quasi multorum capitum, adeoque sententiarum sint. Idipsum enim laudabile, si cum ratione, non amore contentionis scindantur studia in contraria. Disputando enim eruitur veritas; quæ in statu humano sæpe obscura est. Quidni enim de his ita sentiamus, si sacræ litteræ tradant, Angelos præsides Israeli-

(1) Ita S. Alph. de Ligorio theol. mor. lib. 3, n. 181.

(2) Ita Sylvius vol. 2, q. 89, art. VII, quar. IV, concl. II.

(3) Decretales supra et Constitutio Gregorii XIII.

(4) Sylvius vol. 2, q. 89, art. 7, q. 4; S. Alph. de Lig. loco cit. Andreucci p. 3, c. 1, § III, n. 144; Scarfantonius lib. IV, tit. X, n. 14 et seqq.

tarum et Persarum diu multumque contendisse, an in captivitate manerent Israelitæ, an suæ libertati et patriæ restituerentur; etsi utrique gloriam Dei et humani generis salutem spectarent; ipsique videant semper faciem Dei beatificam et scientificam, non ut nos in speculo et ænigmate. Nihil est periculosius, quam aliorum consilia ita contemnere, ut illa audire vel expendere nolis, sed soli tibi fidere velis. Rarum etiam est, ut omnes qui in collegio sunt, ejusdem sint opinionis: ne ergo res communes infectæ manent, inter se consultandum est, et quod majori parti placuit, faciendum et exequendum est (1).

II. Capitulum distinguitur in ordinarium et extraordinarium. Ordinarium est quod singulis mensibus vel hebdomadis juxta statuta vel ecclesiarum consuetudinem congregatur; extraordinarium autem est, quod fit secundum negotia, quæ tractanda occurruunt per canonicos, qui ad id de mandato ejus ad quem spectat, convocantur.

§ 2. *Requisita ad actum capitularrem.*

Ut actus seu resolutio capitularis valeat, atque capitulum negotia jure suo expleat, hæc quatuor aut quinque concurrere debent (2):

1º Ut capitulum legitime sit convocatum. Quocirca habenda est ratio personarum seu convocantium, modi, loci et temporis (3).

2º Ut vocentur omnes qui de jure vocandi sunt.

3º Ut negotia capitulariter expediantur, id est, ut non tantum capitulum legitime convocatum sit, omnesque voti, sed etiam ut deliberatio fuerit facta, singulorum vota audita, et omnia in congregatione absoluta. Neque enim singuli extra congregationem capitulum constituant, et ita nec singulorum consensus extra capitulum datus sufficit in negotiis a capitulo expediendis.

4º Ut major pars consentiat, præterquam in negotiis in quibus singulorum consensus requiritur, ut § 22 dicetur (4).

5º Præterea ut duæ saltem tertiae partes capitularium sint

(1) Zypæus jur. Pont. lib. III, de his quæ flunt a maj. p. cap.

(2) Pallottini, *Capitulum*, § 1, n. 64 et seq.

(3) Lucius Ferraris, *Capitulum*, art. 1, n. 37.

(4) Lucius Ferraris loco cit. n. 36; Reiffenstuel lib. III, tit. XI, § II; Barbosa de canonicis cap. XXXV, n. 3; Scarfantonius lib. IV, tit. V, n. 1.